



1. Bauer s. Jhr: frid: s. diff. de gratiosa Spiritus
3. disciplina, satiose contenta Wittenb 1742.
2. Baumgarten s. Sigism: Jac: s. diff. de ultima
coena Christi paschali Hald 1743.
3. ——— s. diff. de conversione non instantanea,
Hald 1743.
4. Bebel s. Balth: s. diff. de primogenitura
ex mortuis rediviivi Domini Jesu Christi
francof. 1743.
5. Benner s. Joh: Herm: s. Zingendorff s. p. Catechis:
nus 7. Th. Gisse 1749.
6. Boerner s. Mr: Fred: s. diff. de Andronice
et junca in Epist. ad Rom. XII.
vi. 7. Lipsie 1742.
7. Clauwitz s. Bened: Gott: s. diff. nova
de fide in Jesum Christum
Hald 1743.

- 8 Hebenstreit / Joh. Chr. / Diff. in Jesaji VIII
v: 14. Lipsie 1743.
- 9 Litterich / Mart. / Diff. de Natura et Indole
theologice revelate, francf. 1742.
- 10 Academiæ fridericianæ programma
in festum natalitiæ Christi, 1741.
Hald.
- 11 litie Christi 1743. in festum Nata.
Hald.
- 12 Georgi / Chr. Sigism. / Diff. de
corruptione Canonis Sabri impossibilitate
Wittemb. 1742.
- 13 Diff. de primatu Petri futo,
Wittemb. 1743.
- 14 Hassen / Martini / Diff. de parentum
Supremis votis, Wittemb. 1742.
- 15 Heumanni / Christoph. Aug. / Diff. de
illuminatione Pauli, ceca
pietate ferventissimi, jena 1741.
- 16 Hofmann / Car. Gottl. / Diff. de
negata Medicorum resurrectione
Wittemb. 1742.
- 17 Ittig / Thom. / Diff. de Baptismo
fidelium ante Christi adventum de
functorum per aquam, que ex
ejus latere profluxit, francf. 1743.
- 18 programma Academiæ Lipsiensis
in festum pentecostes 1743.

19. Michaelij / Dan. / Diff. de fide hereticis
servanda, Tubingæ 1740.
20. Nonnen / Nicolai / Diff. de Zeyper et
deror Symbolis profelytorum sub
Iofaphati Regni converforum, Brema
1741.
21. Olearij / Gothofr. / Diff. de redem-
tione ex inferno, Jene 1792.
22. Pfaffij / Christoph. Matth. / Diff.
de non adpropinquando Carnem,
Carnis, et de Divortio Tubingæ
1742.
23. Diff. de prima et
benedictione et lege Divina,
crescite et multiplicamini,
Tubingæ 1742.
24. Solbrigij / Dav. / Diff. de harmonia
Evangelistarum Lippid 1716
25. Speiser / Christoph. Nicol. / Diff.
an mortuorum anime fiant
num relictis in his terris bene
vel male sit. Lippid 1742.
26. Tilemann grande Jene / Joh. /
Diff. de Altellis Sacris et profa-
his, Marburgi 1793

27. Weisig f. S. V. f. Diff. de Minore et Caisa,
patu Romano Divi petri, Lipsia 1793.
28. Leibich (Car. Henr.) Diff. de Mysterio
Carnis Affe in nocte paschatis
prima edenda. Wittenb. 1792.
29. ——— Diff. de sepultura in terra
sancta a Jacobo et Josepho patriar.
his moribundis expetita, Wittenb.
1792.



GRATIOLA
SPIRITVS & DISCIPLINA
EXPOSITIO CONTENTA

FRIDERICVS RIVIER
SACR. THEOL. DOCTOR, PRAECEPTOR
SACR. THEOL. FACULTATIS
IN ACADEMIA S. MARTINI
HALLAE MAGISTRVS

MDCLXXII
HALLAE IN ACADEMIA S. MARTINI
PUBLI. LIBR. S. MARTINI



DE
GRATIOSA
SPIRITVS S. DISCIPLINA
EXITIOSE CONTEMPTA

AD IES. LXIII. v. 10

PROGRAMMATE PENTECOSTALI

DISSERIT

CHRIST. FRIDERICVS BAVER

S. S. THEOL. DOCTOR, EIVSDEMQUE PROFES-

SOR PVBLICVS ORDINARIVS, ALVMNOR. REGIO-

ELECTORAL. EPHORVS, SVIQQVE ORDINIS

H. T. DECANVS

VITEME. D. XIII. MAL. M DCC XLII

PRELO EPHRAIMI GOTTLOB EICHSFELDI

ACADEMIAE A TYPIS



DE
GRATIOSA
SPIRITVS S. DISCIPLINA
EXITIOSE CONTENTA

AD VRS. ANNI 1719

PROGRAMMATA PENTECOSTALE

PRESBIT

CHRIST. FRIDERICVS BAVAR

S. S. THEOL. DOCTOR, KAYSERLICHEN PROTES-

SOR PUBLICVS ORDINARIVS, ALEXAND. REGIO-

ELECTORAL. KENNORVS, SYDOVE ORDINIS

H. T. DECANVS

VITENSIS P. XIIII. MAI. MDCCLXIX.

PREBOS. EPISCOPALIS. GOTTL. OR. NICHENSL. DI.

ACADEMIE A. S. P. S.





I. N. I.



ratioſa Spiritus Sancti diſciplina pie apprehendenda eſt, nec niſi cum ſalutis detrimento reiicitur. Haec veritas, in Sacro Codice fundata, articulum religioni Chriſtianae maxime neceſſarium conſtituit, qui vero non ſolum in praxi, quae noſtra aetate eſt neglecta, ſed etiam in theoria, apud multos deſideratur. Non dubito, fore nonnullos, quibus inauditum quid erit, dari diſciplinam Spiritus Sancti, qua recepta, ſtat, qua reiecta, cadit noſtra ſalus. Sed qui religioſius Scripturae attendent, veritatem aſſerri huius agnoſcent. Nam illa diſciplinam Spiritus Sancti ſolide & pure agnoſcendam praebet, virget, adiuuat & promouet. Odio proinde digna ſunt, quaecumque illi detrahunt atque inſidiantur. Nihil diligentius omnibus ſapientiae ſtudioſis inculcandum eſt hac doctrina:
GRATIOſA SPIRITVS SANCTI DISCIPLINA EXITIOſE
CONTEMNITVR. Cuius veritatis expoſitionem ſuperſtruemus
dicto

IV DE GRATIOSA SPIR. S. DISCIPLINA

dicto Iesaiæ, quod capite LXIII. vers. 10. legitur: **וְהָיוּ מְרוֹדֵי וְעֵבְרוּ אֶת-רִנְתָּהּ קִדְשׁוֹ וַיִּהְיֶה לָהֶם לְאוֹיֵב הוּא: בְּלֶחֶם-בָּם:** *Ipsi autem, rebellant & ad indignationem prouocant, Spiritum sanctitatis suæ, ita ut etiam conuertatur eis, in inimicum, ut ipse debellet eos.* Quibus verbis Iesaias supeditat causam, cur ultimum ac funestum Hierosolymorum excidium nullo modo, nec prophetarum intercessione, nec singulari Messiae gratia auerti possit. Ratio est: ipsi incolæ sunt apostatæ, qui a fide in Messium deficiunt, & sic rebellantes ad iracundiam ac indignationem prouocant Spiritum Sanctum, quem Messias mittit. Necessè est ita, vt ab alienato Messias fiat animo in rebelles Spiritui Sancto, vt ipse bellum aduersus eos gerat. Eo respicit eximium huius prophetiæ argumentum, licet non a quouis interprete eo referatur. Consideretur modo nexus totius prophetiæ, & apparebit veritas. Iesaias prædicit c. LXII. v. 11. fore, cum Messias se audiendum præbuisset per omnes terræ Cananaeæ fines, vt etiam diceretur filiae Zion, *ecce saluator tuus venit ad te.* Huius euangelio attendendum esset, quo vocari posset *visitata nec deuelinquenda urbs.* At præuidet etiam propheta, Messiae *doctore in iustitia, magistro ad salutem* ex hac vrbe exeundum fore, *cruentato ac pessime habito.* Imo audit ex offensi Messiae ore c. LXIII. 4. *datur tamen dies ultionis in corde meo, & annus, quo meos redimam, venit. Quum circumspexero, nec fuerit adiutor rei Christianae in Iudaea & urbe Hierosolyma, quum ideo obstupero, nullum subuenire auxiliatorem, tunc opem mihi meisque discipulis feret brachium meum, & indignatio mea me sustentabit.* 5. *Et calcabo populos in ira mea, & inebriabo eos in indignatione mea, & deiciam in terram victoriam eorum,* qui illam de me reportaturi erant. Quam comminationem Messiae propheta audiens, profitetur, se libenter intercessurum esse pro urbe sancta, & pro populo suo, sed preces suas non exauditum iri, quia, homines tempore Messiae victuri, ipsi rebellaturi, eiusque Spiritum Sanctum exacerbaturi essent. S.c enim e fontium consilio sequen-

sequentia verba vertenda veniunt v. 7. *Gratias domini* quidem in memoriam reuocabo, laudes domini, additurus, hoc beneficium superaturum esse omnia, quae dominus nobis impendit, & maximo fore beneficio domui Israelis, si cum eis agat, secundum commiserationes suas, & secundum multitudinem gratiarum suarum, 8. ac de eis cogitet: nihilominus ipsos fore populum suum, fore liberos, qui spem non fallant, se ideo futurum eis saluatorem; 9. si in omni ipsorum offensione non sit offensus, si, ceu legatus ac facies Dei, praesentiam suam ad eos saluandos adhibeat: si pro amore suo, pro clementia sua, ipse sic eos redimat, ut ipsos erigat, & portet omnes futuri seculi dies; 10. *Ipsi tamen rebellant, & dolore afficiunt Spiritum sanctitatis suae, ut etiam ipsi commutetur, in inimicum, ut ipse aduersus eos pugnet.* 11. *Licet enim recorderetur Messias dierum commemorati futuri seculi, gentium tempore etiam Hierosolyman conferuaturus, licet alter sit Moses populo suo futurus; ubi erunt, qui se dabunt isti educendos ex mari? num cum pastore grex suus vniuersus commorabitur indispersus? ubi erit populi vniuersitas, cuius in medium dare poterit Spiritum sanctitatis suae?* 12. *Eodem eductore, qui Moysi fuit a dextris, cui brachium suum suae fuit gloriae, qui fidit aquas in conspectu eorum, ut faceret sibi futurum ac aeternum nomen, 13. educturo etiam hos ex abyssis peccatorum & calamitatum; hi erunt sicut equus ferus in deserto, nullo capientur offendiculo* 14. *Erunt sicut iumentum, quod in praecipitem vallem decurret, quorum tamen quemuis Spiritus Domini libenter ad requiem ducturus esset.* Rebus autem vel sic se habituris, tu tamen ducis populum tuum, fideles Christianos, ad faciendum tibi gloriae nomen.

En cohaerentiam textus nostri, en virtutem linguae sanctae, en styli sacri maiestatem, qua omnia apte inter se sunt connexa, & verissime cohaerent. Conuenienter tamen textui titulum inscribere nescio, quam hunc: *gratiosa Spiritus Sancti disci-*

VI DE GRATIOSA SPIR. S. DISCIPLINA

disciplina a Iudaeis exitiose reiecta est. Id Iudaeis fuit exitio, quod institutioni atque correctioni Spiritus S., & sic suae disciplinae spirituali resisterunt, nec se, ut homines ratione praeditos, sed ut bruta, exhibuerunt. Perlecto ac perspecto sic toto contextu, eo facilius diiudicari poterit vera omnium versus nostri verborum explicatio.

אמתן *Attamen ipsi* reclamant meae, pro ipsorum salute, intercessioni. Iesaias sequebatur exemplum Moſis Exod. XXXII. Quemadmodum Moſes intercedebar pro populo idololatrico, sic Iesaias, pro populo Messiae inimico, ac de eo triumphaturo, quem Messias perditurus erat. Dolet autem intercessionem suam non exaudiri posse, ex propria ipsorum culpa. Ipsi autem apostatae fiunt, dum deludunt & contemnunt preces ac scripta suorum prophetarum. Non est, ut multum quaeratur, unde probari possit, de quo subiecto praecise haec omnia praedicentur. De Iudaeis sermonem esse, omnis contextus Ies. LXII. & LXIII. euincit. Illi Iudaei, qui erant *populus ad Messiae aduentum praeparatus* v. 10. quorum per terrae fines *Messias, ut Deus salutis eorum, audiebatur* ac conspiciebatur, v. 11. quorum ad metropolim Zionem, tanquam *ad urbem quaerendam nec deuelinquendam* Messias accedebat v. 12. ex qua autem ob persecutorum violentiam *ipsi doctores in iustitia, magistro ad salutem*, exeundum erat cruentatis vestibus v. 13. Illi Iudaei, qui Messiae *sanguinem effundebant, de eo triumphaturi* v. 2. 3. de quibus ergo *vindicta erat sumenda*, & qui in *ira Messiae* erant conculcandi v. 4. 6. pro quorum condonatione omnes prophetae Iesaiiae intercessionem esse frustraneae v. 7. 9. illi sunt de quibus propheta locutus est, & dixit: *ipsi* autem, ex propria culpa & malitia.

אפסותא *apostatae fiunt, seu rebellant* contra Deum eiusque unctum Pl. II. 2. 3. dum gratiosae Spiritus Sancti disciplinae inobsequentes sunt, illuminationis gratiam repellunt, alluminati tene-

tenebras luci praeferunt. Consilium Dei de agenda poenitentia, de suscipiendo baptisate, de rite instituenda ad ingressum in regnum Dei praeparatione, contemnunt. Ad concionis praecursoris Messiae, imo ad ipsius ac apostolorum suorum conuictiones ac edita diuinitus miracula ceruicem obdurrant. Sic se gerendo, ipsi deficiunt suae salutis.

מרי ועצבו Rebellant ac *moerore afficiunt, seu contristant* Spiritum sanctitatis suae. Quae ἀποπροπαθῶς dicta, θεοπροπῶς intelligenda sunt. Proprie loquendo, Deus eiusque Spiritus tristitia affici non potest. Nam Deus, prout in se beatissimus, ita etiam immutabilis est. Nulla gaudia possunt augere, nullae tristitiae imminuere eius felicitatem atque perfectionem. Humano tamen loquendi more Spiritus Dei dicitur *contristari, acerbari ac dolore affici*, dum res ipsi displicet. Quemadmodum enim dolor & tristitia humana oritur ex praesentia ac sensu mali, sic dolor & tristitia diuina notat displicentiam, auersionem ac improbationem rei malae. In qua contristatione Spiritus Sancti explicanda, tamen obseruandus est canon Theologorum, vt magis notetur effectus, quam affectus. Quemadmodum tristis toruo conspicitur vultu, nec blandum ac beneuolum se gerit erga omnem, a quo tristitia afficitur, sed potius eum a se repellit, & indignationem suam aperit; sic etiam illi, qui Spiritum Sanctum dolore ac tristitia afficiunt, tandem experiuntur, ipsius gratiam ab ipsis remoueri, nec Spiritum Sanctum apostatis a Messia esse amicum. Inanis vero est omnis contentio ad salutem, sine Spiritus Sancti gratia. Haec opus est ad illuminationem ac conuersionem, vt quis verbum salutis recte intelligat ac sanctificet, vt illud amet, ac per piam fidei *δουλολογίαν* acceperit, vt firmam salutis spem ex eo concipiat, & gaudium salutis guster. Haec gratia, si per praefractam malitiam repudiatur, conuertitur in indignationem. Gaudium saluandi commutatur in tristitiam condemnandi, si non in effectu, tamen in effectu. Et sic contristant.

קדש

VIII DE GRATIOSA SPIR. S. DISCIPLINA

אֲתֵּרוּן קָדְשִׁי *Spiritum sanctitatis suae*, i. e. Spiritum Sanctum, a Messia pro sanctitate sua missum. Quem nostrum fugit: Spiritum Sanctum esse distinctam a Patre & Filio personam. Id etiam ex hoc loco patet, quia est alia a Messia persona, quam Iudaei increduli dolore afficere possunt. Dolo affici, personarum est, non donorum ac virtutum. Quare Spiritus Sanctus est persona subsistens, distincta a Patre & Filio, cui competit id, quod hic asseritur. Messias etiam rogavit Patrem, *ut alium daret discipulis suis aduocatum* Ioh. XIV. 16. qui erat Spiritus Sanctus. Hic vocatur Spiritus sanctitatis Messiae 1) quia ipsi aequalis cum Patre & Filio sanctitas est, & ab utroque procedit 2) quia iustitia ac sanctitate Messiae imperatur Ioh. XVI. 7. 3) quia ad sanctificandam Messiae maiestatem, seu glorificandam eius diuinitatem, datur 4) quia ipsi praecipue fidelium in Christum sanctificatio attribuenda est. Hunc Spiritum Sanctum contristant omnes, qui contemtores sunt euangelii, per neglectum Spiritus Sancti, in verbo loquentis, per abusum veritatis ad iniustitiam, per obfirmationem in incredulitate ac peccatis. Omnis Iudaeorum in Christianos amaritudo, mordacitas ac crudelitas, omnis excandescencia, ira, clamor ac malitia, omne conuitium, ac mentiendi & nocendi libido contristabat Sanctum sanctitatis Messiae Spiritum. Quare etiam id aequo animo ferre non potest iustissimus totius mundi iudex. Quemadmodum ipse sanctitatem suam abnegare non potest, sic etiam vult, ut Spiritus sanctitatis suae agnoscatur, ametur, honoretur, eiusque disciplina obseruetur. Alias, ac his intermissis.

וְהִפָּךְ לְחֵם לְאוֹיֵב *commutatur etiam eis in bossem*: Post multa exhibita beneficia, Messias Iudaeorum contra se rebellionem, ac Spiritus Sancti contristationem, diutius ferre non potest. Ab indulgentia ad iram, a dilectione ad inimicitias, propter reiectam Spiritus Sancti disciplinam conuertitur. Quia sanctus est Deus, occisionem suorum prophetarum ac Spiritu Sancto

Sancto repletorum virorum ferre non potest. Prouocatus ad iram & indignationem, illam etiam ceu ignem ardentem immittit, ac omnia amoris ac gratiae signa subtrahit. Necessitate coactus

הוא נלחם במ *ipse pugnatur contra eos.* Hoc referendum est ad bellum ac excidium, quod a Romanis passi sunt Iudaei. Ad illud bellum suscipiendum perficiendumque, hostes ab ipso Deo excitabantur, eiusque nutu omnia gerebantur prosperrime. Quare ex his omnibus manifestum est, disciplinam Spiritus Sancti fuisse beneficium Iudaeis destinatum, ab ipsis autem non acceptatum, sed malitiose repudiatum, ad ipsorum exitium. Nam qui leges Dei Patris violauerant, remedium reperire poterant, in satisfactione Messiae eiusque Spiritu sanctificationis. Qui Messiae, Filii Dei, personam per incredulitatem atque ignorantiam laeserant, illis subueniebat effusio ac gratia Spiritus Sancti, qua poterat ignorantia dispelli, incredulitas vinci. At qui Spiritum Sanctum exacerbabant, eiusque disciplinae malitiose resistebant, illi grauissima Dei iudicia etiam incurrebant, nec vllus supererat gratiae locus.

Ex his explicatis fuit doctrina: dari gratiosam Spiritus Sancti disciplinam, cui non quidem quis resistere potest *physice*, parem aut maiorem potentiam opponendo, attamen *moraliter*, ac praua voluntate sua, qua quis se subtrahit gratiae Spiritus Sancti, cum maximo autem salutis suae detrimento. Tria in hac doctrina occurrunt perpendenda, primo quid sit disciplina Spiritus Sancti, secundo quomodo ei resistatur, & tandem quale in exitium se talis temeritas iacet. Quam varie etiam vox disciplinae accipiat, communissime tamen rationem discipulos tractandi denotat, & duo dicit, eum institutionem, tum correctionem. Disciplina Spiritus Sancti,

Sancti comprehendit institutionem ac inspectionem Spiritus Sancti, qua vitur in conferenda nobis sapientia spiritali formandisque bonis moribus. Ea est conditio hominum post lapsum Adami, vt nascantur serui corruptionis, coeci ac obtrebrati homines, qui non possunt noscere ea, quae sunt Dei. Hinc opus est institutione Spiritus Sancti. Opus est Spiritus Sancti operatione ac gratia, qua aperiuntur oculi nostri, qua nobis detur intelligentia, qua cor nostrum inclinetur ad bonum, qua ducamur in omnem veritatem, qua aggrediamur viam mandatorum Dei. Nemini autem haec beneficia obuient alio ordine, quam quo se submittit Spiritus Sancti disciplinae. Qualis submissio vocatur קחה מוסר, apprehensio disciplinae Ier. V. 3. Proinde etiam Moses docuit Israelitas Deut. XI. 2. si vultis, vt Deus vobis ac vestris liberis faueat, id agendum est: *vt agnoscatis & obseruetis יהוה אל הים מוסר יהוה אל הים* disciplinam Domini Dei vestri. Hanc disciplinam Spiritus Sanctus ipse commendat obseruandam Pl. II. 10. *הנסרו apprehendite disciplinam.* Praecipue autem haec disciplina Spiritus Sancti commendatur in Psalmis & Prouerbiis. Ex utroque libro vnicum tantum adducam locum. Sic loquitur Spiritus Sanctus Pl. XXXII. 8. *Erudiam te, & docebo te, in qua via tibi ambulandum sit, consulam tibi, oculus meus super te erit.* 9. *Vos vero, ne sitis sicut equus, sicut mulus, quibus non datum est intelligere, cuius maxillae opus est capistro ac freno, ad coercendum, nec aliter tibi appropinquabit.* 10. *Alias multi dolores erunt impio, qui vero sperat in Dominum, illum bonitas circumdabit.* Hic habemus disciplinam Spiritus Sancti, tam quoad institutionem, quam quoad castigationem. De hac disciplina agit totus Psalmus centesimus decimus nonus. Eadem redditur quam commendatissima in Prouerbiis Salomonis c. III. 11. *Disciplinam Domini, mi fili, ne contemnas, nec moleste feras, ac fastidias correptionem & conuictionem suam,* 12. *Nam quem diligit Dominus, corripit & conuin-*

conuincit, & tanquam pater erga filium beneuolo erit animo. 13. *Beatus est homo, qui sic inuenit sapientiam, & eruet prudentiam, 14. quia melior est acquisitio eius, quam acquisitio argenti, & prouentus eius melior, quam purissimum aurum, pretiosior est cunctis opibus sapientia, & omnia, quae desiderantur, huic comparari non possunt.* Est itaque disciplina Spiritus Sancti σωφρονομία, institutio ad sapientiam, σώζουσα τὴν φρόνησιν, mentis sobrietatem, sanitatem ac moderationem seruans, & σωφρονίζουσα est sapienter docere, emendare, corrigere ac coercere. Vnde tota iuuentutis informatio apud PLVTARCHVM vocatur σωφρονομία, reductio ad bonam ac sapientem mentem, qua facimus, vt quis sapiat, id quod coincidit cum sapienti disciplina. Illa nec addisci, nec exerceri potest sine spiritu σωφροτισμοῦ, de quo Paulus gloriatur 2. Tim. 1. 7. ἡ γὰρ ἔδωκεν ἡμῖν ὁ Θεὸς πνεῦμα δειλίας, αἰδᾶ ἀναιμίας, καὶ ἀγάπης, καὶ σωφροτισμοῦ. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis, & disciplinae, seu institutionis ad saniozem mentem. VVLGATVS reddit πνεῦμα σωφροτισμοῦ spiritum sobrietatis. Nunc non nego, σωφροσύνην, seu virtutem disciplinatae mentis, consistere etiam in temperantia, sobrietate, & pudicitia, in generali tamen suo significato comprehendit omnem sanam mentem, omnem animi moderationem, & cupiditatum refrenationem, qua quis nullum est cupiditatum mancipium, sed ductum sanae mentis sequitur. Differt autem σωφροσύνη & σωφρονομία, vt sanitas & sanatio mentis, & σωφρονομία proprie est praeceptoris, cuius curae committitur sapientia imbuedus. Spiritus Sanctus est πνεῦμα σωφροτισμοῦ, spiritus, qui nobis saniozem reddit mentem. Hic est pater & doctor spirituum. In eius disciplina vno quinquennio plus Theologiae discitur, quam totis quinquaginta annis comprehendunt, qui disciplinae Spiritus Sancti se subtrahunt, licet legendis suorum doctorum libris dies noctesque consumant, in eoque

XII DE GRATIOSA SPIR. S. DISCIPLINA

genere pro doctissimis habeantur. Discrimen est inter *praesumptionem* spiritualium diuitiarum, qualis in Angelo Laodicensi erat Apoc. III. 17. & rei *veritatem*, qualis in Paulo. Qui disciplinae Spiritus S. particeps factus est, & communionem cum eo habet, ille omni institutione & conuictione Spiritus S. vitur, ad suam & aliorum emendationem. Ad quaestionem itaque, quid est disciplina Spiritus S.? non incongrue respondebimus, asserendo, esse paternam & praecceptoriam Spiritus S. curam, inspectionem ac ephoriam in auditores verbi diuini, vt in suos scholae salutis auditores, qua primo de institutione ipsorum ad sapientiam necessaria prospicit, & sua praeuente ac operante gratia illos iuuat ac promouet, deinde etiam de religiosa discipulorum suorum attentione gratiaeque suae adhibitione diiudicat, quomodo auditores sese gerant in audiendo Dei verbo, quomodo sese disciplinae suae submittant. Qui religiose attendunt Spiritui Sancto, & ideo verbum Dei dies noctesque meditantur, in eos gratiosa exercetur Spiritus S. beneuolentia. Nam qui de propria salute solliciti, veritatem amant & quaerunt, hos etiam Spiritus S. in omnem veritatem ducit. Qui vero disciplinae Spiritus S. malitiose resistunt, in illos iustissimum exercet odii sui iudicium. Nam disciplina Spiritus S. versatur in diiudicatione sancti a non sancto, puri ab impuro, obsequentis ab inobsequente. Ipse caute distinguit alicuius errores ex ignorantia ab haeresi, peccata, quae committuntur ex infirmitate, ab iis, quae ex malitia perpetrantur. Pro diuersitate discipulorum in schola Spiritus S., prout ipsi magis vel minus probantur, diuersimode se etiam exerit disciplina Spiritus S., in applicatione ac denegatione suae gratiae. Qui peruenire cupit ad Spiritus S. beneuolentiam, eius disciplinae se submittat. Rebellibus Spiritus S. *χαρισματα* non magis conducunt, quam suis & canibus margaritae. Est in disciplina Spiritus S. ordo, ex quo fauet obsequentibus, inobsequentibus autem

tem succenfer. Cauendum itaque est, ne quis se vel subducat, vel repugnet Spiritus Sancti disciplinae, dum genuinum mediorum gratiae usum reicit, quum tamen gratia Spiritus S. per media agat. Digna sunt verba piae nostrae Formulae Concordiae, quae huc apponam p. 672. *Quare cum homo profanus instrumenta seu media Spiritus S. contemnit, neque verbum Dei audire vult, non fit illi iniuria, si a Spiritu S. non illuminetur, sed in tenebris infidelitatis suae relinquatur & pereat.* Neglectu ac contemptu mediorum, per quae operatur Spiritus S., homo disciplinae eius se subducit. Deinde etiam informationi Spiritus S. repugnare potest, si motibus gratiae eius praefracte resistit. Exemplum occurrit Ier. XLIV. 16. vbi respondent Ieremiae Iudaei: *Sermonem Domini, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non recipiemus, sed faciemus, quicquid egredietur ex ore nostro.* Et hoc nos ducit ad alterum, quod perpendendum est,

Quomodo disciplinae Spiritus S. resistatur? Contrarium foret maiestati Spiritus S., si homo malitia sua omnem ipsi accessum praecludere, & gratiam Spiritus S. praeuenientem ac pulsantem impedire posset. Primae Spiritus S. operationes in peccatorum cordibus sine illorum consensu se manifestant. Ast in progressu suae disciplinae, Spiritus S. non nisi certo iustoque agit ordine morali, naturae hominum rationalium conuenienti. Huius ordinis pars est, submissio voluntatis humanae sub institutionem & disciplinam Spiritus S. Hic ordo accommodatus libertati & naturae hominis, tanquam creaturae rationalis, nequaquam est coactiuus, sed qui assensum nostrum sponte coniungendum imperat. Assensu nostro deficiente, Spiritus S. non ultra progreditur. Idque non per impotentiam, sed quia ordinem consensus praescriptum & creaturae rationali essentialem vult seruari, cuius libertas in eo sita est, vt agat sponte & cum iudicio. Peragenda itaque

XIV DE GRATIOSA SPIR. S. DISCIPLINA

itaque sunt sponte omnia officia, quae disciplina Spiritus S. nobis praescribit ad ineundum ac perficiendum sanctificationis studium. Spiritus S. ordinarie non agit per miracula, nec eius gratia nostram naturam tollit, sed erigit. Mediante intellectu, commouet voluntatem, ac praeuiis pietatis, fidei ac caritatis exercitiis, in his virtutibus producit habitus. Resistibilitas auersus disciplinam Spiritus S. non consistit in oppositione parium aut maiorum virium, sed est mera defectio voluntatis humanae a diuina voluntatis suae gratia, nolendo abstrahi a peccatis, nolendo Deo credere ac obedire. Homo non vult subesse ordini disciplinae sacrae, ad cuius tamen tenorem Spiritus S. agit, & suam gratiam veris discipulis manifestat, dispensat & auget, minus probatis autem tegit, ac ab eis rerrahit. Nihil est itaque praeter voluntatem nostram, quod disciplinae Spiritus S. resistere possit. Nolle ordini disciplinae suae inferuire, est ei resistere; nolle ei obsequi, est eum ad iram ac indignationem prouocare. Nolle studere in verbo suo, est tenebras praeferre luci. In schola Spiritus S. vero non proficimus otiano, nihil legendo, nihil agendo, sed per orationem, per meditationem ac praxin verbi diuini. Quo crebrius preces negliguntur, excitati pii motus supprimuntur, bona facienda intermittuntur, peccata contra conscientiae dictamen perpetrantur, eo magis affuecit homo peccato, vt mala consuetudo fiat altera natura, & homo tandem fiat incapax disciplinae Spiritus Sancti. Obfirmata in malis voluntas, quae nunquam praestare voluit, quae facere debuisset, & innumera fecit, quae facile vitare potuisset, quo diutius durauit, eo magis homines obdurauit, teste experientia ac scriptura. Ier. XIII. 13. *Si mutare potest aethiops pellem suam, & pardus maculas suas, etiam vos, qui malis assueti estis, poteritis benefacere.*

Quam certum autem est exitium, in quod se iactat eorum teme-

temeritas, qui gratiosam Spiritus S. disciplinam reiiciunt? Quo minus homo sine Spiritus Sancti gratia potest conuer-
 ti, eo certius illorum est exitium, qui eius disciplinae repu-
 gnant. Nam a Spiritu S. non solum deseruntur, sed ob
 neglectam salutem, ob abusum gratiae diuinae, ob praefra-
 ctam malitiam ac continuatam impenitentiam debitae tan-
 dem poenae ipsis irrogantur. Qui contristant Spiritum S.,
 sua resistentia incurrunt tam iudicia Dei spiritualia, quam cor-
 poralia, tam intermedia, qualia sunt induratio & excoecatio,
 quam etiam iudicium vltimum, quo, cum pudore ac dolore
 irreparabili, aeternum sentietur exitium. Quam grauissimam
 enim iram in se concitent omnes ofores disciplinae Spiritus
 S., apparet ex Pf. L. v. 16-22. *Impio autem dicit Deus:
 Quid tibi proderit, enarrasse statuta mea, & assumpsisse foedus
 meum ore tuo? Cum tu ipse tamen odio habeas disciplinam, &
 verba mea post te reiicias. Quum vides furem, curris cum eo,
 & cum adulteris est portio tua. Os tuum aptas ad malitiam,
 lingua tua nescit proditionem. Sedes ac loqueris contra fra-
 trem tuum, filium matris tuae infamia afficis. Quae faciens,
 me tacente, imaginaris tibi, me fore tui similem, sed arguam
 te, & ex ordine ante oculos tuos disponam. Attendite ad hoc
 obliuiscentes Dei, ne diripiam, nec sit ereptor. Si quis vero
 sua fidei confessione ac sacrificiorum oblatione me honora-
 bit, ei etiam, qui sic suam instituet viam, monstrabo salutem
 Dei.*

Quorum vero haec spectant, quae de disciplina Spiritus
 Sancti praefati sumus, quam vt ab omnibus modis ca-
 ueamus, quibus Spiritui Sancto potest resisti, eiusque motus
 tanto diligentius obseruemus. Deum aeternum, Patrem Do-
 mini nostri Iesu Christi, toto pectore oramus, vt adsit huic
 incluctae Academiae sua gratia, eamque spiritu sapientiae, in-
 tellectus, consilii, fortitudinis & pietatis impleat, donaque, in
 pecto-

XVI DE GRAT. SPIR. S. DISCIPL. EXIT. CONT.

pectoribus docentium & discipulorum accensa, adaugeat, quo omnes ductui Spiritus Sancti, in cuius honorem sacra iam celebrantur Pentecostalia, fiamus obsequentissimi. Quia vero usu mediorum externorum, ut auditu verbi diuini, frequentatione templi, deuotione precum, conuersatione cum sanctis, dona Spiritus Sancti possunt acquiri, excitari, augeri, agedum venite OPTIMI ET SACRATI SPIRITUI SANCTO CIVES, pro audito hactenus verbo diuino gratias acturi, ut nobiscum grata mente ac manu ad aram accedatis. Hoc est, ad quod etiam atque etiam quam humanissime vos inuitamus.


P. P. in Academia Vitembergenſi die XIII. Maii A. R. S.
M DCC XLII.



12.

00 A 6450

12





DE
GRATIOSA
SPIRITVS S. DISCIPLINA
EXITIOSE CONTEMPTA

AD IES. LXIII. v. 10

PROGRAMMATE PENTECOSTALI
DISSERIT
CHRIST. FRIDERICVS BAVER
S. S. THEOL. DOCTOR, EIVSDEMQUE PROFES-
SOR PVBLICVS ORDINARIVS, ALVMNOR. REGIO-
ELECTORAL. EPHORVS, SVIQVE ORDINIS
H. T. DECANVS

VITEMB. D. XIII. MAL. M DCC XLII

PRELO EPHRAIMI GOTTLOB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS

